



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digres. 6. Qua Aristotelis ratiocinatio communem ostendens sensus
perpenditur, ad tex. com. 30.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

Digestio VI. Quae hae Aristotelis ratiocinatio perpenditur.

Commu- nis sen- sus Pla- toni co- gnitus.

T Am est aperta & manifesta haec ratiocinatio, qua praeter particulares exteriores sensus communem hunc in nobis inesse demonstratum est; vt minimè mirum sit, si Platoni quoque ante Aristotelem eum fuisse cognitum & nominatum dicat Philoponus. Ego verò cognitum quidem fortasse crediderim nominatum tamen non reperio. Certè in Theaeteto absurdū fore ait Socrates, si multi nobis quemadmodū ligneis quis insideret sensus, eorumque organa, oculi, aures, nares, in exterioribus corporis partibus apparent; neque haec in vnā, siue ideam, siue animam, siue quocumque modo appellare deceat, tenderent omnia; qua per ista, tanquam per organa, quaecumque sensibus subiacent, sentiamus. Ac rursum addit, ea, quae per aspectum sentiuntur, sentire per auditum non posse, neque contrā. Atque illud etiam subiungit, dissimilitudinem horum, ac diuersitatem, nec per aspectum, nec per auditum iudicari. Quare animam ipsam concludit quaedam per corporis organa, quaedam per seipsam comprehendere. Per corporis organa res singulas cognoscere; per seipsam autem in omnibus communionem, ac diuersitatem iudicare: atque ad illam solam, vt essentia, sic identitatis, ac diuersitatis cognitionem pertinere. Sensum nec essentiam vllius rei; nec idem, & diuersum comprehendere posse.

Quid differat ab Aristotele.

Ex quo loco si quis Aristotelem dixerit argumentationem, quam hoc loco proposuit, desumpsisse, aut certè illius construendae occasionem habuisse; non magnopere repugnabo. Modò fateatur, aliam planè illius, quam Platonis deductionem fuisse. Plato namque duo prorsus affirmavit. Alterum; sensilia quidem obiecta per exteriora corporis organa suscipi, atque ad animam transmitti: at illorum comprehensionem, & iudicium non in illis, sed in interiori animae ipsius sede, ac domicilio fieri. Et idè dicendum potius esse, nos per oculos, aut aures cernere, aut audire; quam oculis, aut auribus. Alterum, identitatem, ac diuersitatem, similitudinem, dissimilitudinemque obiectorum, non per sensum, neque per illorum organa, sed immediatè ab anima iudicari. Aristoteles in vtroque dissentit: hancque fortasse ob causam duo illis prorsus opposita in hac disputatione posuit. Alterum in tex. 144. in ipso videlicet ratiocinationis exordio; Vnumquemque sensum in sensorio, quatenus sensorium est inexistere, ibique suum obiectum, & illius differentias iudicare. Quae verba si satis considerasset Alexander, quem Themistius sequutus est, nequaquam affirmasset in cap. vltimo libri primi de anima, & commentario nono in librum de sensu, & sensili, in organo quidem externo suscipi obiectum, sensationem tamen non in illo, sed in interiori fieri sensus communis organo; quod ille esse credidit. Verum de hoc pluribus disputare alterius est instituti. Alterum, quod Aristoteles adiunxit, illud fuit, quod in tex. 145. probauit, diuersitatem eam sensilium iudicari sensu; quoniam ipsa sensile quidpiam est. Hoc enim non temerè credes non solum ad excludendum intellectum fuisse additum; verum etiam ad illud Platonis pronuntiatum eiterendum, quo non sensu, sed anima per se ipsam iudicari tradiderat.

A Is igitur accipiens illud, quod singulis penitentis experimur, nos non ea modo obiecta, quae generis eiusdem sunt; sed ea item, quae genere differunt, diuersa esse cognoscere; tria omnino probauit. Primum, facultatem illam, quae de pluribus sensilibus iudicat, sentientem ille. Alterum, eam non esse exteriorum vllam, & particularem; siue vnā, siue plures; verum interiorum aliquam, & communem. Tertium, ac postremum, eam esse vnā, non plures. Facultatem quampiam esse, ante haec omnia non probauit: quòd manifestum esset, & omnibus certum, ipsam animae substantiam nihil per facultates operari. Neque cum Plato ipsam animam identitatem, ac diuersitatem per seipsam cognoscere, facultates excludere voluit, sed corporis organa, & sensus; eamque cognitionem ad intellectum traducere. Facultates verò cognoscentes omnes, quae in nobis sunt, mira breuitate complexus est. Haec sunt intellectus, & sensus. Intellectus duobus modis intelligere potest. Aut per se, & seorsim; quemadmodum cum naturas vniuersas, atque à sensibus remotas substantias contemplatur; et si sensibus, ac phantasia praefertim ad contemplandum ducatur. Aut simul cum sensibus; vt cum res sensatas, & cum materia, sensibusque coniunctas cognoscit. Neutro modo cognitionem hanc diuersitatis sensiliū posse intellectui tribui, vnicò illo argumento ostendit; quoniam sensilium cognitio, quatenus sensilia sunt, propria sensus est, non intellectus. Hinc enim conficitur, neque ab intellectu per se & solitari iudicare iudicari posse; neque famulantibus sensibus, nisi antea sensus aliquis tanquam proximus & naturalis iudex ponatur. Si quidem quam ob causam is ab ipso sensu sensilia non cognoscit, propter eandem neque vnū ab alio distinguit.

Huius argumentationi si altera illa addatur, iudicium hoc in beatiis quoque rationis ac mentis expertibus reperiri; magis fuerit confirmatum, sensus illud, non intellectus, esse. Iam verò si solos exteriores omnibusque conspicuos sensus confidetes; siue eos seorsim singulos, siue plures simul obiecta sua persentientes intuearis; de pluribus obiectis iudicium nunquam habebis. Quoniam illi nihil nisi suum obiectum cognoscit: deque diuersis quidem illius partibus iudicant; at aliorum sensilia ne attingunt quidem. Si igitur communis ille iudex non est intellectus, neque particularis sensus, siue vnus, siue plures; alius profectò fuerit in nobis interior, ac superior sensus, qui diuersa illa obiecta complectatur, & discernat. Eumque necesse est esse vnū; quoniam eundem esse oportet, qui cognoscat omnia, si singula à singulis distinguenda sunt. Atque haec ita se habent hactenus. Ià cetera persequamur.

TEXTVS.

Οτι δ' οὐδ' ἐν κεντρικῷ ὄραματι, ἐπιπέδῳ ἢ σφαιρῷ, αὐτὸ λέγει ἐπιπέδον τὸ ὄραμα καὶ τὸ ἔραμα, ὡς καὶ ἐν σφαιρῷ λέγει ἐπιπέδον καὶ σφαιρῶν, ὡς ἐν σφαιρῷ λέγει ἐπιπέδον καὶ σφαιρῶν, ὡς ἐν σφαιρῷ λέγει ἐπιπέδον καὶ σφαιρῶν, ὡς ἐν σφαιρῷ λέγει ἐπιπέδον καὶ σφαιρῶν.

Quod verò neque in separato est tempore, sint. Primum idem dicit diuersum esse bonum & malum; si actum quoddam alterum dicit diuersum esse, & alterum quoque, non ex accidenti, ipsum quando. Quemadmodum in quocumque momento dico diuersum esse, non tamen nunc diuersum esse. Sic tu dicit, & nunc, & nunc esse. Similiter.

COMMEN.

COMMENTARIUS XXXI.

Quæ verbis hæc continentur, ad unitatem quoque communis sensus pertinent; tametsi tertium Philoponus contemplationis caput statuerit. Vim etenim eam, inquit Themistius, quæ de obiectis discrepantibus arbitratur, non solum in se vna simplexque est, sed etiam per comparationem & collectionem ad tempus. Vnam in se facultatem esse, vnumque sensum, qui dulce ab albo diuersum esse decernat: neque separatis ac diuersis, separata ac diuersa iudicari; hæc tamen deducta ratio persuasit. Iam ne separato quidem, ac diuerso tempore, separataque ac diuersa actione iudicium illud constare; sed simul & eadem operatione vtrumque cognoscitur dulce diuersum esse ab albo; tum albu à dulci, nititur demonstrare. Hæcque est demonstratio. Quemadmodum eadem est facultas, quæ bonum iudicat esse diuersum à malo; sic etiam ipsum quando, hoc est tempus, quo vtrumque iudicatur, idem est. Eodem. n. tempore, quo bonum iudicatur esse diuersum à malo, malum quodque à bono diuersum esse cognoscitur. Et non prius horu alterum percipitur, deinde alterum: cum bonum à malo nequeat separari, quin hoc simul separatur ab illo. At idem est communis sensus, qui dulce, & album discernit. Eodem igitur tempore, eodemque cognitionis, & iudicii actu, dulce ab albo, & à dulci album diiudicatur. Quod autem dixit, idem esse tempus, ipsemet ita accipiendum esse interpretatur, ut sit idem per se, non ex accidenti: hoc est non solum comparatione iudicatis, qui nunc dicat diuersum id, quod iam fuit diuersum. Est. n. nunc ex accidenti, quando prius factum est, nunc dicitur fieri. Sicut si dicam; nunc audiui factum fuisse bellum: tempus illud, seu nunc instans temporis ad auditu referatur, non ad bellum factum: cum non dicam bellum nunc fuisse factum, sed me nunc audiuisse. Atque hoc est illud, quod ait (nunc dico diuersum esse non tamen nunc diuersum esse). Verum etiam ex parte res iudicataru; ut id, quod nunc fit, nunc fieri dicitur. Quemadmodum si dicam, nunc te loquentem audio. Nam & ego nunc audio, & tu nunc loqueris. Hoc nimiru per se, & non ex accidenti dicitur nunc esse. Quonia non solum est, quatenus nunc dicitur, & cognoscitur, sed quatenus ipsa & secundu suam naturam. Ex accidenti autem est, quando non est, quatenus ipsa; sed quatenus dicitur & cognoscitur. Itaque cum communis sensus, non secus ac particulares, non nisi de re presenti sit, quæque particularibus sensibus subiiciatur; dum is dpo obiecta iudicat esse diuersa, id est tempus, tum ex parte ipsius sensus, tum ex parte obiectoru, quæ simul ambo & non vnum post alteru iudicatur. Id sibi volunt illa verba; sed ita dicit, & nunc & nunc esse) hoc est ita, ut & nunc iudicet, & nunc distinctas esse iudicet res ipsas, quæ iudicantur. Simul igitur, & eodẽ tempore iudicantur bonu & malu, dulce & album. Quod ad differentiam phantasiae, aut etiam intellectus dictu fortasse fuit. Nam hæ facultates sunt de re absente & præterita, communis sensus de re solum presenti, quæ nunc sit, quando cognoscitur. Et ideo imaginabili rei, aut etiam intellectibili, si rem præteritam intelligas, ex accidenti inest nunc; rei autem sensibili omnino per se.

A Sed Auerroes, quem Albertus mox sequutus est, cum idem nunc audiri, momentu in idem intellexit: quasi voluerit philosophus dicere sensus huius cognitionem momentaneam esse. Quod Philoponus quoque visus est velle, sensum hunc inueniens probari sine tempore esse. Fateor ita rem habere, ut & in cognitione item ac iudicio sensuum exteriorum: siquidem omnis notitia simplex momentanea est. Non id tamen hoc loco sibi voluit Aristoteles: sed illud solum, ut simul, & non separato tempore, actionibus multiplicatis, vnum post alterum iudicari conficeret. Quod argumento quidem illo probauit, quod (nunc) de re presenti per se dicitur, de præterita ex accidenti. Quia de presenti dicitur quatenus ipsa; de præterita non quatenus ipsa, sed quatenus dicitur. Illud tamen (nunc) non accipitur tanquam temporis impartibile momentum, sed tanquam præsens; siue tempus sit, siue momentu temporis. Hoc namque satis erat ad id, quod quærebatur, probandum; non solum esse vnum sensum, qui obiectum vtrumque iudicet; sed etiam vtrumque simul, & dulce ab albo, & album à dulci diuerse; non vnum post alterum iudicari. Quippe & sensus vtrumque simul dicit, & obiecta ipsa simul sunt; non vnum post alterum.

C Quamquam nec illud ineptè dixerim, Aristoteles, tum temporis, tum nunc mentionem fecisse. Quoniam & subito potest ac momento iudicare communis sensus; & in aliquod tempus iudicium protrahere, hoc est in eodem iudicio semel factu persistere. Et Simplicio quoque id videtur fuisse fortasse factum; ut significaretur, actiones animæ constare momentis, ex quibus discretum tempus existat, velut ex unitatibus numeris. Verum quid ego de hoc tempore sentiam, alibi pluribus explicauit.

D Nunc huiusce rei, de qua agitur, alterum argumentum habes apud Auerroem. Diuersitas, & idemitas, relationem quandam significant; relata verò sunt simul: qui igitur duorum identitatem aut diuersitatem cognoscit, simul, & eodem tempore cognoscit oportet. Id verò in intellectus compositione ac diuisione manifestum est. Etenim tota illa mentis nostræ functio in duorum terminorum coniunctione versatur: quæ nimiru coniunctio vna est, & simul vtrūque terminu, attributum & subiectum, comprehendit & copulat; siue vnum alteri attribuendo, siue vnum ab altero remouendo. Et ideo in propositione, quæ ad eam, quæ est in mente, significandam voce promittitur, vna est copula, quæ duos simul connectit terminos. Quod autem in propositionibus mentis ita se habet, de plurium item comprehensione ac iudicio, quæ in communi sensu versantur, intelligas.

TEXTVS.

Quæ inseparabile, & in inseparabili tempore.

COMMENTARIUS XXXII.

Hanc esse superiorum conclusionem quandam perspicuum est. Et nisi aduersaretur Philoponus, constaret item, cuiusmodi conclusio

*Sensum
vnum
ne simul
diuersa
diuersa
diuersa
diuersa*

*Nunc,
ut dica-
tur per
se vel
accidit*

*Sensum
et sub-
ito est
tempore
operari.*

*Intelle-
ctus co-
positio-
nem et
diuisio-
nem si-
mul v-
trūque
terminu
com-
plecti.*

Ita nimirum Themistius, Philoponus, & alij omnes interpretati sunt; vel etiā Auerroes. Nam estis non quali dubitationē introduxerit; quā tamen dixit modum, quo idem sensus eodem tempore contraria obiecta iudicare possit. Et ipsum fortasse quærendi verbum dubitationem voluit significare: quartūque contemplationis caput appellavit Philoponus. Dubitatio autem, seu maior obiectio hæc est. Fieri non potest, ut vnum, & idem diuersis motibus moueatur: si duæ nimirum conditiones adsint. Altera; ut illud consideretur, quatenus indiuiduum; hoc est non secundum diuersas partes, sed aut secundum totum, aut secundum vnam, & eandem partem. Etenim vnam partem calefieri, alteram refrigerari; vnam fieri albam, alteram nigram; omnibus penè horis animaduerimus. At secundum totum eandemque partem nunquam fit. Quod quomodo intelligendum sit ratio ipsa docebit, propter quam id fieri nequeat. Ratio autem est, quoniam contraria propter naturæ contrarietatem & pugnam simul esse non possunt, sed mutuo se se pellunt ac destrunt. At hoc de contrariis solum ad summum intensis & perfectis verum est. Remissa enim & fracta conciliantur facile, atque in corporibus passim reperuntur. Neque igitur contrariis motibus quidquam mouebitur, ut contrariæ qualitates ad summum ambæ perducantur. Aliqua verò ex parte moueri, actio illa & reactio testatur, quæ inter quatuor principes qualitates in natura versatur. Porò ad præsentem dubitationem proponendam satis fuit motus perfectus atque integræ formæ. Quoniam de sensus iudicio agebatur; quod non dimidiato, sed integro actu constat.

Alterà conditio esse debet, ut simul & in indiuiduo tempore motus illi contrarij fiant. Quid sit indiuiduum tempus, ex superiori cõtextu cognoscitur. Quippe quod ibi inseparabile, seu non separatum & non diuersum tempus dixit, indiuiduum nunc, hoc est non in plura diuisum, appellat. Alioqui diuersis temporibus omnia, quæ natura consistunt, contrariis motibus sæpe mouentur, dum modo calida sunt, modo frigida, modo humida, modo sicca, & ad alias huiusmodi contrarietates omnes materia potestate existit.

Tam verò si idem sensus simul & eodem tempore diuersa & contraria obiecta diiudicat, dum dulce simul & amarum, album & nigrum, aut dulce & album discernit, an non contrariis motibus simul mouetur? Sanè non sentit, aut iudicat sensus, nisi ab obiecto moueatur: quare si dulce & amarum, album & nigrum, simul sentiuntur, simul etiam mouent sensum & ut contrariæ sunt & pugnant qualitates, ita contrariis & pugnantibus motibus permouetur ab illis sensus. Dubitationem hanc verò etiā de solo communi sensu propositam fuisse dixerint Philoponus, atque Auerroës: potius tamen credendum est vniuersè de omni sensu, tum communi, tum particulari, excitatam fuisse. Non minorem enim ait Themistius, & consentit Philoponus, in sensu particulari locum habet, immò maiorem, quàm in communi. Tum quia particularis quoque non modo diuersa, ut communis,

sed contraria quoque suscipit: ut aspectus album & nigrum, dulce & amarum gustatus. Et quidem simul, dum in paginam scriptam coniciamus oculos, pluresque simul saporibus admouentur linguæ. Tum quia particularis primùm & immediatè contrarios ab obiectis motus suscipit; neque communis, nisi particularibus permotis mouetur. Deinde cum Aristoteles antea non solum commune, sed particularem etiam sensum dixisset partes ac differentias sui obiecti discernere: eademque ratio, qua communis sensus iudicium probauit simul & eodem tempore de diuersis fieri, idem quoque in particulari sensu ostendat: communem sanè nunc dubitationem proponere debuit. Neque sine causa is exempla ex contrarietate in obiectis particularium proposuit; dulcis & amari, quæ ad gustatum; albique & nigri, quæ ad aspectum pertinent. Aut verius dicam ex vtròque sensuum genere exempla fuisse deprompta, dulce, amarum, album. Nam album non est accipiendum cum nigro, sed cum dolci: quemadmodum cum sapore dixit, dulce cognosci diuersum esse ab albo. Et dulce quidem cum amaro & albo sumi potest: cum vno, tanquam cum contrario sub eodem obiecti genere; cum altero, velut cum diuerso genere. Quòd si cum amaro sumatur, ad gustatum spectat; si cum albo, ad communem sensum. Addam præterea, non de sensibus solum verum de intellectu quoque dubitationem eandem propositam esse. Quoniam in antecedente oratione eum item nominauerat; & vtraque facultate obiecta hæc dignosci, & diiudicari possunt. Ideo dulce dicit mouere sensum aut intelligentiam. Sensum inquam; tum particularem, si cum amaro sumatur; tum communem, si cum albo; intelligentiam autem vtrouis modo. Siquidem suprema hæc virtus inferiorum omnium obiecta cuncta dignoscit, illaque ipsa sensilia diiudicat. Aut simul cum sensu intelligentiā nominat; quòd eam à sensu nondum distinxerit. Aut Philoponi interpretatione *νόησι* dicit phantasiā, quam inferius *νόησι πνεύματι*, & *μαθηματικῶν* vñ appellat: Eaque quidem re & subiecto est, ut post intelligatur, cum communi sensu.

Hic velut vltimam huius commentarij clausulam adnotabo, sensus ab obiectis non per intentionales formas, ut plerique inquit Latini norum: sed per reales qualitates moueri. Cum enim ipsimet illi earum formarum auctores ac patroni doceant, illas contrarietatem non habere, simulque contrariorum obiectorum formas absque contrarietate & pugna in sensu suscipi, nulla esset profectò philosophi hæc dubitatio: quæ plurima esse videtur, dum à qualitatibus ipsis realibus, dulcedine & amaritudine, albedine & nigredine, non ab earum intentionibus, afficiuntur sensus.

Contra
species
intentionales.

procedunt; illa virtus eo suggestu posita non patitur ipsas contrarias qualitates: sed ante se politas & ad pedes, genuaque aduolutas & iacentes contempletur. Ita demum iudicium suum promittit; & dulce ab amaro discernit, atque album à dulci discriminat. Et quemadmodum vnus pluribus vellicantibus, litigantibusque potest simul ius dicere: Ita non fit à nulla ratione inuentum, sensum aliquem in nobis promiscuum contineri, qui contrariis sensibus simul operam det. Hæc ex Interprete Themistius. Quibus non solum naturam & vim huius sensus optimè & ad viuum expressit; verum etiam exemplum centri à Philosopho propositum tum pulchrè interpretatus est, tum illustrauit plurimum.

*Centri
exemplo
vires
fuisse
Plato-
nicos
quoque.*

Verum non peripatereticis modo, sed & Platonicis familiare hoc centri exemplum fuisse, ex Synesio cognosces. Is in libro de Somniis cap. de potestate phantasie, spiritusque phantastici; Auditus, inquit, atque visus non sunt quidem sensus, sed instrumenta sensus, communi sensui ministrantia: & quasi quidam animalis ianitores & ostiarij, nunciantes domino sensilia forissecus occurrentia, quibus pulsantur exteriora sensoria. Intimus interea sensus in cunctis sui partibus sensus est integer. Toto namque spiritu audit, toto videt, similiterque reliqua valet. Distribuit autem vires alias alijs, quarum quælibet derivatur ex animali seorsum; suntque velut rectæ quædam lineæ profluentes è centro, & coeuntes in centrum: vna quidem omnes ex communi radice, multæ rursus processione iam factæ.

*Com-
munis
sensus
vires vt
centri.*

Illud enim eo maximè spectare Philosophus quoque voluit, vt intelligeretur, quomodo hic sensus diuiduus sit & indiuiduus: & idè vnus existens plura possit & contraria obiecta simul diiudicare. Centrum etenim, vt duobus modis consideratur, ita & vnum & plura & indiuiduum & diuiduum esse intelligitur. In se & vt circuli medium existit, vnum & indiuiduum punctum est, quod nullas habet partes, nec nisi semel accipitur. At vt plurimarum simul confluentium, ac concurrentium linearum terminus existit; tam est multiplex atque in tot partes diuiduum, quam multæ sunt lineæ, quarum est terminus: nec semel, sed sæpius vt diuersarum linearum terminus vsurpatur. Persimilis est natura communis sensus. Nam is tum in se, vt vnica facultas est, vnus existit & indiuiduus: tum verò quatenus particularium omnium sensuum quasi terminus & centrum, quodam modo multiplex atque diuiduus. Vt igitur illorum omnium sensuum concursus velut communis omnium terminus ac centrum excipit, diuersique eorum motus in illum referuntur, & confluunt; & idè non vnus, sed quodam modo multiplex est, vt multorum terminus, non semel sed sæpius acceptus, atque ad hoc & illud obiectum ad hunc & illum sensum comparatus: sic sanè diuersa obiecta suscipit, quæ per plures ac diuersas illuc vias perducuntur: atque adè diuersa de diuersis & separatis diuersorum ac separatorum sensuum obiectis iudicia pronunciat: hoc videlicet esse dulce, illud album, aut aliud quid-

piam. Quatenus verò vna facultas est, vnica promittit actum, eoque vno de illis omnibus simul & eodem tempore statuit. Quod cum dicimus optimè ex natura & conditione organi ac facultatis, de natura & conditione actionis philosophamur. Atque vt facultatis huius organum reliquarum organa; & facultas, motus, qui ab illarum obiectis sunt, omnes excipit: sic actio, quæ ab illa proficitur, est vnica sit, obiecta tamen illa vniuersa complectitur.

Porrò id fieri dixit Aristoteles, quatenus his vitur eodem signo, aut eodem fine ac termino, tanquam duobus. Id quod vitur, est sanè id, quod iudicat: anima scilicet sentiens, quæ suis facultatibus operatur: aut etiam totum animal; siquidem operationes toti conuincendo tribuendæ sunt potius, quam formæ; vt in primo libro tex. 66. traditum est. Quo verò vitur, communis est sensus; qui vt ad plures sensus refertur ac plurium terminus accipitur, verè vt pluribus vitur. Tuncque plura diiudicat, quæ separata sunt, & diuersa obiecta velut separatorum. Quam vocem sanctus Thomas legens (vt in separato) diuiduum præcipuum, quo ea cognoscuntur, communem videlicet sensum alio atque alio modo consideratum significare putauit. Sed Græcè est (vt explicatione, vt separatorum.) Atque hæc est sententia: communem sensum diuersa tunc obiecta iudicare velut sensuum diuersorum. Potestque duobus modis accipi. Altero; quatenus à diuersis sensibus particularibus per diuersa organa ad illum deducta. Altero; tanquam ad diuersos sensus pertinentia: vt dum dulce & album diiudicat, illud iudicat vt gustabile gustatus obiectum, hoc vt aspectabile aspectus proprium. At verò quatenus est vnum (non inquam id, quod vitur; sed id, quo vitur) idem ipse scilicet communis sensus, qui respectu vna quæpiam est & specialis facultas: ita nimirum iudicat (vno & simul); vna inquam actione & eodem tempore plura illa & diuersa plurium ac diuersorum sensuum obiecta.

Digestio v. 11. Quam pulchrè Aristoteles communis sensus naturam indicauerit.

Tota hæc Philosophi explicatio magnopere differt ab antecedente responsione, quæ ab eo confutata fuit & reiecta. Quod prior illa vnum subiecto diceret sensum, multiplicem forma: eumque alia atque alia ratione diuersos simul & contrarios motus in seipso suscipere. Verèque ostensum est, in eodem non posse simul actu contraria suscipi. At hæc posterior, inquit Philoponus, tum vnum dicit, tum multos subiecto. Vel, vt aiunt Simplicius & Auerroës, vnum forma & multiplicem instrumentis, quibus vitur; & viis, quæ ad ipsum terminantur. Prior vnum recipientem & iudicantem faciebat; hæc vnum iudicantem, multos susipientes constituit. Vultque communem sensum diuersorum & contrariorum simul capacem esse; non materialiter, sed iudicantè, dum illa simul diiudicat. Quod facile fieri potest. Quia cum per cognitionis actum suscipiatur in cogni-